

DE ORDINE CARITATIS  
INTER PROPRIAM ALTERIUSQUE VITAM  
IUXTA THEOLOGOS FRANCISCANOS SAEC. XVII (2)

2. *Ex SS. Patribus*

Aliud argumentum, quod patroni huius primae sententiae adducere solent, est auctoritas Patrum, ex quibus praecipue Lactantius, SS. Ambrosius, Hieronymus et Augustinus.

1) Lactantius in libro *Divinarum institutionum*, ut refert Pitigianis,<sup>84</sup> reprehendit philosophos et gentiles, qui duos amicos, quorum alter pro altero mori paratus erat, laudant, et contra christianos, malentes pro innocentia conservanda et consequenda tabulam unicam in medio mari proximo cedere quam, eam occupando, proximum perire sinere, vituperant; ratio est, quia, si honestum sit pro amicitia mori, summae gloriae et laudis est pro innocentia perire.<sup>85</sup>

<sup>84</sup>F. Pitigianis, *o. c.*, P. II, p. 318b (cf. nota 56).

<sup>85</sup>Lactantius, *Divinarum institutionum libri septem*. lib. V *De iustitia* cap. XVIII *De iustitia, sapientia et stultitia*, agendo de natura verae iustitiae eiusque distinctione a stultitia, asserit quod homo iustus evitat omne quod sit alteri nocivum et diligit quod sit virtutis; et pro quo sumit exemplum dicens quod iustus in tabula naufragii aut in equo fugae, amore virtutis, nempe innocentiae, potius morietur quam alterum mori sinere, quandoquidem pro amicitia id fieri liceat: 'Videamus ergo, utrumne iustitia foedus aliquod habere cum stultitia possit. Iustus, inquit (Carneades), si aut equum saucio, aut tabulam naufrago non ademerit, ut ipse animam suam liberet, stultus est. Primum omnium, nego ullo modo fieri posse, ut homini, qui quidem vere iustus sit, eiusmodi casus eveniat; quia iustus neque cuiquam nato inimicus est, neque quidquam omnino appetit alienum. Cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua?.. / ... Sed omitto ista; quoniam fieri potest, ut vel invitus ad haec subeunda cogatur... Sed videlicet qui sacramentum hominis ignorant, ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia, quanta sit vis iustitiae, scire non possunt. Nam et cum de virtute disputant, quamvis intelligant aerumnis ac miseriis esse plenissimam, tamen expetendam esse aiunt sua causa; eius enim praemia, quae sunt aeterna et immortalia, nullo modo vident. Sic rebus omnibus ad hanc praesentem vitam relatis, virtutem plane ad stultitiam redigunt; siquidem tantos huius vitae labores frustra et inaniter suscipit. Sed haec alio loco plenus... Non potest ergo fieri, quin hominem iustum inter discrimina tempestatum atque bellorum coelestis tutela custodiat; ac non, etiamsi cum parricidis et nocentibus naviget, aut malis quoque parcat, ut una iusta et innocens anima liberetur, aut certe pereuntibus caeteris sola servetur. Sed concedamus posse fieri, quod proponit philosophus; quid ergo iustus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? Non invitus confiteor, morietur potius

Hunc Patrem favisse sententiae vitam alterius propriae praeferre permittenti alii auctores ita etiam intelligunt, et quidem bene; ut expresse asserit Vitoria eum tenuisse quod christianus, qui cum alio naufragatur, potius morietur quam tabulam unicam accipiet.<sup>86</sup> Etiam Suarez eum pro hac prima sententia revocat.<sup>87</sup>

2) S. Ambrosius a Mastrio,<sup>88</sup> Boyvin<sup>89</sup> et Cotonio<sup>90</sup> pro hac sententia allegatur cum eius libro *De officiis ministrorum*; ibi enim S. Doctor ita celebrat fortitudinem et fidelitatem filiae Iephthe, quae mortem adire non dubitavit propter promissionem Deo factam a patre suo, ut neque illud

quam occidet. Nec ideo tamen iustitia, quod est singulare hominis bonum, stultitiae nomen accipiet. Quid enim melius, quid carius esse homini debet, quam innocentia? quae utique tanto perfectior sit necesse est, quanto illam perduxeris ad extremum, morique malueris, ne quid de innocentiae ratione minuatur. Stultitia est, inquit, alienae animae parcere cum pernicie suae. Num etiam pro amicitia perire, stultum iudicabis? . . . Iraque non video, quare cum pro amicitia et fide mori, summa gloria computetur, non etiam pro innocentia perire, sit homini gloriosum' (ML 6, 605-7).

<sup>86</sup>F. Vitoria, *De caritate et prudentia*, p. 108: 'Licet medico tempore pestis visere infirmis. — O, dicitis: non est certum quod morietur ipse. — Contra, eodem praeecepto teneor evitare periculum mortis quo mortem. Praeterea, non est dubium: esset inhumanitas dicere quod non liceret uxori curare maritum tempore pestis. Si licet uxori pro marito: ergo pro amico. Quare non? Et beatus Augustinus, in libro aureo *De amicitia* (c. 26; ML 40, 842) hoc videtur sentire. Lactantius, libro 5 *De iustitia*, c. 18 expresse hoc asserit de christiano qui cum alio naufragatur et solum est tabula qua unus potest evadere: morietur potius quam accipiet tabulam'.

<sup>87</sup>F. Suarez, *De charitate*, in *Opera omnia* tom. XII, tr. III disp. IX sect. III: 'Dico tertio: non tenetur homo in necessitate etiam extrema vitae, sibi semper potius subvenire quam proximo/alicui, v. gr., amico. Sententia est communis Soti, lib. 5 de iust. q. 1. Vict. Relect. de homic. a n. 24 et aliorum cum divo Thoma 2.2 q. 26 a. 4 ad 2 et apud Magistr. 3 d. 29. Item Cordub. lib. 1 q. 38 ad 4. Confirmatur autem tum ex veteribus philosophis, qui non rato ita docent; ut videre est apud Ciceronem in Laelio et in Part. apud Val. Max., lib. 4 c. 7. . . , tum etiam ex Patribus, Ambrosio, tertio Offic. c. 22 (12), Lactantio, lib. 3 c. 18, Augustino, 4 Conf. c. 6 et in lib. de amic. c. 2; et Hieron. in c. 7 Michaeae' (p. 712a-b).

<sup>88</sup>B. Mastrius, o. c., p. 218b: 'Quamvis autem quoad bona corporalia. . . caeteris paribus unusquisque magis seipsum diligere debeat, quam proximum; non autem contra hunc charitatis ordinem faceret, si quis ex motivo alicuius virtutis pro tuenda amici vita propriam exponere, imo hoc, tamquam perfectae amicitiae officium commendat' a S. Ambrosio lib. 3 offic. c. 12 et Hier. in c. 7 Mich.

<sup>89</sup>I. G. Boyvin, o. c., P. IV, p. 153: 'Adde quod, si hoc ultimum non debeat fieri ex charitate, fieri tamen potest ex amicitia, quam laudat in hac actione D. Ambr. lib. 3 Offic. cap. 12 & August. lib. de Amicitia cap. 10.'

<sup>90</sup>A. Cotonius, o. c., P. I, p. 70a: 'Liceat tamen illam [propriam vitam corporalem pro alterius] periculo exponere cum aliqua spe. Quod non solum admittit Cicero . . . et Aristoteles 9 Ethic. c. 8 sed D. Hieron. etiam in c. 7 Mich. d. Ambros. 3 Offic. c. 12. D. August. lib. 4 Conf. c. 6 laudant Damonem et Pithiam, quorum alter se vadem tyranno obtulit pro alterius vita'.

Pythagoreorum cum ea comparare possit.<sup>91</sup> Inde, data occasione, factum istorum amicorum aliquomodo laudat dicens quod est mirabile, imo et plenum miraculi, sed multo minus quam illud in virgine nempe filia Iephte patratum.

Revera S. Ambrosius non tantum in hoc libro sed etiam in illo *De Virginibus* huic primae sententiae favisse videtur. Nam hic loquendo de virtutibus virginum christianarum factum Pythagoreorum iterum refert et laudat, etsi fortitudinem illarum multo magis extollat atque strenuitatem cuiusdam militis, nomine Didymus, qui castitatem S. Theodoraе defendendi causa martyrium subire non dubitavit.<sup>92</sup> Unde constat S. Ambrosium utrumque factum, Pythagoreorum nempe et virginum christianarum, nemum approbasse, verum etiam laudasse: directe istarum, indirecte vero illorum, etsi istae illis prudentiores sint.

<sup>91</sup>S. Ambrosius, *De officiis ministrorum* 3, 12 sic factum filiae Iephte cum illo Pythagoreorum comparat scribens: 'Praecellentius et antiquius istud exemplum de filia Iephte, quam illud quod memorabile habetur apud philosophos de duobus Pathagoraicis quorum alter cum a tyranno Dionysio capitis damnatus esset, praescripto mortis die, poposcit ut domum pergendi ei facultas daretur, quo commendaret suos: ac ne revertendi nutaret fides, vadem mortis obtulit, ea conditione ut si ipse deforet ad constitutum diem, vas ejus sibi pro eo moriendum agnosceret. Nec qualitate sponsionis qui offerebatur recusavit, constantique animo diem necis praestolabatur. Itaque alter se non subiraxit, alter ad diem recepit. Quod eousque fuit mirabile, ut tyrannus eos sibi in amicitiam adscisceret, quorum urgebat periculum. Quod ergo in spectatis et eruditus viris plenum miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multoque illustrius deprehenditur, quae *ingemiscenti patri ait: Fac mihi ut exivit de ore tuo* (Iudic. XI, 36). Sed spatium duorum poposcit mensium, ut cum aequalibus conventum ageret in montibus, quae virginitatem ejus praedestinatam neci pio affectu prosequerentur' (ML 16, 177-8).

<sup>92</sup>S. Ambrosius, *De virginibus* 2, 5 iterum factum Pythagoreorum adducit et laudat, etiamsi magis virgines christianas laudibus efferat: 'At etiam philosophorum gymnasia Damonem et Pythiam Pythagoreos in caelum ferunt, quorum unus cum esset morti adjudicatus, commendandorum suorum tempus poposcit: tyrannus autem astutissimus, quod reperiri non posse existimaret, petivit ut sponso-rem daret, qui pro se feriretur, si ipse faceret moram. Quid de duobus praeclaris, nescio. Utrumque praeclarum. Alter mortis vadem invenit, alter se obtulit. Itaque dum reus moram supplicio faceret, fidejussor vultu sereno mortem non recusavit. Tunc admiratus tyrannus chariorem philosophis amicitiam quam vitam fuisse; petivit ut ipse ab his quos damnaverat, in amicitiam, ut et tyrannum inclinaret.

Digna laude, sed minora nostris. Nam illic ambo viri; hic una virgo, quae primo etiam sexum vinceret; illi amici, istis incogniti: illi tyranno uni se obtulerunt, isti tyrannis pluribus, hoc etiam crudelioribus, quod ille pepercit, isti occiderunt: inter illos in uno obnoxia necessitas, in his amorum voluntas libera. Hoc quoque isti prudentiores, quod illis studii sui finis amicitiae gratia, istis corona martyrii, illi enim certaverunt hominibus, isti Deo' (ML 16, 228); *cf. ib.* 2, 4) (ML 16, 224-8) et nota 13 huius.

3) S. Hieronymus allegatur a Mastrio<sup>93</sup> et Cotonio<sup>94</sup> ex eius libro II *Commentariorum in Michaeam*, asserens quod sententia a Deo illic prolata de non credendis amicis<sup>95</sup> non est adversum omnes amicos et affectus caritatis, nam adsunt amici, quales duo Pythagorei, quibus credi potest.<sup>96</sup>

Ast ex examine textus apparet quod Doctor Maximus huiusmodi factum tantum citat, quin laudet.

4) S. Augustinus adducitur a Pitigianis<sup>97</sup> et Villalobos<sup>98</sup> ex eius libro *Confessionum* et *De amicitia*, a Boyvin ex hoc solo<sup>99</sup> et a Cotonio ex illo tantum.<sup>100</sup> Cum nobis constet liber *De amicitia* non esse ipsius S. Doctoris,<sup>101</sup> tantum videamus quid in libro *Confessionum* ille locutus fuerit. S. Doctor revera in hoc libro nobis refert factum Pyladis et Orestis, quorum alter pro altero mori malebat quam non simul vivere.<sup>102</sup>

Dicendum est quod, etsi S. Augustinus circa facti veritatem aliquomodo dubitaverit, non tamen obstante in altero duorum amicorum quid heroici

<sup>93</sup> Cf. nota 88 huius.

<sup>94</sup> Cf. nota 90 huius.

<sup>95</sup> Cf. Mich. 7, 5-6.

<sup>96</sup> S. Hieronymus, *Commentariorum in Michaeam Prophetam libri II*, 2, 7: 'Nolite ergo credere amicis, quia omnis amicus supplantatione supplantat, et qui propter aliquid est amicus, non tam amicus eius est quem amare se simulat (ab amore quippe amicus dicitur) quam ejus rei quam diligit... Quod si Pythagoraeorum nobis opponitur exemplum, qui se vades invicem tyranno dederunt, dicimus non generaliter adversum omnes amicos et caritatis affectus, sententiam a Deo esse prolatam, nec contra omne tempus, sed de eo super quo Apostolus ait: *In novissimis diebus advenient tempora periculosa: erunt enim homines seipso amantes, cupidi, fastidiosi, superbi, blasphemae, parentibus non obediens, ingrati, scelerati, sine affectione, pactum non custodientes...*' (ML 25 1218-9). Cf. 2 Tim. 3, 1-2.

<sup>97</sup> Cf. nota 56 huius.

<sup>98</sup> A. Villalobos, o. c., vol. II, p. 31b. 'En algun caso seria licito poner a peligro la vida por el amigo, como dicen S. Agustin [Conf. 4, 6], Santo Thomas [De reg. 1, 10] y Aristoteles [Ethic. 9, 8]...' et pp. 217b-218a: 'Tambien es licito poner la vida a peligro por el amigo... como dize Soto [lib. 5 de iust. q. 1 a. 6] y aun lo dize San Agustin [6 de Amic. c. 10], conforme a lo que dixo Christo [Iq 15, 13]: *Maiorem hac dilectionem...* Y favorece esto el comun dicho de los Filofofos: *Amicus est alter ego*'.

<sup>99</sup> Cf. nota 89 huius.

<sup>100</sup> Cf. nota 90 huius.

<sup>101</sup> J. P. Migne (1800-1875), *Patrologia Latina*, 40, 831/2 'Admonitio in subquentem librum De amicitia: Opusculum est Aelredi Rhievallensis in Anglia Abbati, dialogi forma conscriptum, et tres in libros ab ipso digestum...'

<sup>102</sup> S. Augustinus, *Confessionum libri XIII* 4, 6: 'Ita miser eram, et habebam chaziorum illo amico meo vitam ipsam miseram. Nam quamvis eam mutare vellem, nollem tamen amittere magis quam illum. Et nescio an vellem vel pro illo, sicut de Oreste et Pylade traditur, si non fingitur, qui vellent pro invicem vel simul mori, quia morte pejus eis erat non simul vivere. Sed in me nescio quis affectus nimis huic contrarius ortus erat, et taedium vivendi erat in me gravissimum, et moriendi metus' (ML 32, 697-8).

cum videbat; et forsan hoc sensu dicitur eum huic primae sententiae fuisse.

Unde auctoritas Patrum videtur constitui validum argumentum pro hac sententia sustinenda, quatenus illi, etsi explicite neminerint solum factum, id tamen implicite laudare vel saltem approbare videntur, imo S. Ambrosius id quodammodo laudavit. Ast, hoc non obstante, mens genuina eorum erat vel virtutes christianorum, virtutibus gentilium multo praestantiores, exaltare, vel christianos exhortari ut, si gentiles alter pro altero mori paratus sit, multo magis christiani invicem diligere debent ac virtutes aemulare. Inde forsan solum laudant modum procedendi gentilium, non vero rei substantiam vel e contra, ut ad propositum id explicant adversarii et quidem expresse Hermann.<sup>103</sup>

### 3. Ex theologis

Tertio loco patroni huius sententiae auctoritatem theologorum allegant, sive affirmando, ut Rodriguez et Bassaeus, quod doctrina communis theologorum tenebat ordinem caritatis permittentem vitam alterius propriae praeferre,<sup>104</sup> sive numerando singillatim eorum nomina. Quod haec sententia fuerit communis, statim affirmare abstinemus, tantum videamus quinam theologi adducti fuerint et quomodo de quaestione cogitaverint. Iamvero theologi, qui adduci solent a patronis huius sententiae, sunt S. Thomas Aquinas, Franciscus de Vitoria, Dominicus Soto, Petrus de Aragón, Franciscus Toledo, Ioannes Azor, Dominicus Banez, Leonardus Lessius et Gulielmus Herinx.

1) S. Thomam huic fuisse sententiae in Commentario in III *Sententiarum*, in libro *De regimine principum* et in *Summa theologiae* testantur Pitigianis,<sup>105</sup> Villalobos<sup>106</sup> et Bassaeus.<sup>107</sup>

<sup>103</sup> A. Hermann, o. c., tom. II, p. 211b: 'Arguitur 2. Hoc genus amicitiae multum laudatur a SS. Patribus, Hieronymo in cap. 7 Amos [sic] Ambrosio lib. 3 offic. cap. 12. qui afferunt exemplum Amicorum Pythagoricorum, quorum unus se in necem mortis pro altero obrulit, et alter constituto die, quo illi moriendum erat, advenit. Item Cicero... Respondetur, Multa a multis laudari, quae sine peccato non perpetrantur, laudatur aliquando modus, non substantia facti, vel e contra. Sic laudatur Lucretia, quod se obstuprum sibi illatum pugione interfecerit, quia in hoc elucebat amor castitatis in ea, peccavit tamen in facto, ut S. Augustinus lib. 1 Civit. cap. 19. penitus hoc factum Lucretiae vituperat dicens: Vos appello leges iudicesq. Romani...'

<sup>104</sup> Cf. notae 21 et 29 huius. <sup>105</sup> Cf. nota 56 huius.

<sup>106</sup> Cf. nota 98 huius.

<sup>107</sup> E. Bassaeus, o. c., tom. I, p. 132a: 'Quarto, saepe melius erit omnibus consideratis, se non exponere pro altero, nisi in casu necessitatis, seu obligationis: hinc pro sola honestate amicitiae praesertim humanae, saepe non erit prudentiae vitam exponere: & sic conciliari possunt diuersae Authorum sententiae, & contraria argumenta dissolui. Ita D. Thomas, Bannes, Sotus, Sylvius, Clauis Regia, Lessius, Molina, Victoria, Bonacina, Valentia, Malderus'.

Revera Doctor Angelicus in Commentario in III *Sententiarum* asserit ex Ioann. 15, 13 licitum esse salutem proximorum propriae vitae corporali praeferre.<sup>108</sup> Pro intellectu huius textus, adduci potest locus parallelus ex *Summa theologiae* II-II q. 26 a. 5, in quo S. Thomas similiter arguit ex textu ioanneo dicens posse hominem, pro salute proximi, proprium corpus exponere.<sup>109</sup> S. Doctor in istis locis loquitur explicite de salute proximi vel proximorum, non distinguens de quanam salute agatur. Haec est ratio cur ipse adducatur a patronis huius primae sententiae pro eorum thesi roboranda; nempe, si Doctor Angelicus, arguunt isti, non distinguebat de salute proximi, ratio cur nos de eadem distinctionem faciamus evanescit, et consequenter illud 'salus' bene intelligi potest de salute corporali; quod adhuc confirmari videtur auctoritate aliorum.<sup>110</sup>

Dicendum est quod haec interpretatio non privat sua probabilitate; nihilominus cum S. Doctor praecise non distinxit de quali salute proximorum agendum sit, videtur saltem significasse salutem spiritualem, ut nonnulli theologi intellexerunt,<sup>111</sup> aut etiam significasse salutem corpo-

<sup>108</sup> S. Thomas, *Scriptum super librum tertium Sententiarum* d. XXIX q. un. a. V refert imprimis obiectionem contra ordinem caritatis qui exigit ut homo prius se ipsum quam proximum diligit: 'Praeterea. Illud quod aliquis maxime in seipso diligit est vivere et esse. Sed caritas facit ponere vitam corporalem pro fratribus. Quidam autem gentiles pro amore amicorum se morti exposuerunt sine aliqua spe vitae aeternae. Ergo amicitia et caritas facit magis diligere proximum quam seipsum' (tom. III, p. 933). Huic obiectioni respondet 'Ad tertium dicendum quod tradere seipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis; unde hunc actum magis appetit virtuosus quam vitam propriam corporalem. Unde quod aliquis vitam propriam corporalem propter amicum ponit, non contingit ex hoc quod aliquis plus amicum quam seipsum diligit; sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis quam bonum corporale' (*ib.*). Cf. etiam nota 157 huius.

<sup>109</sup> S. Thomas, *Summa theologiae* II-II q. 26 a. 5: 'Ad tertium dicendum quod cuilibet homini imminet cura proprii corporis; non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi/forte in casu. Et ideo non est de necessitate caritatis quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu quod tenetur eius saluti providere. Sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem caritatis' (vol. II, p. 142a-b).

<sup>110</sup> Sic, inter alios, F. Vitoria, *De caritate et prudentia*, pp. 106-7: 'Ad idem S. Thomas in 3. d. 29. q. 1 a. 5 in tertio argumento quaerit an homo debeat diligere proximum sicut seipsum vel plus. Et arguit quod homo non tenetur plus se diligere quam proximum, quia multi gentilium laudantur quia posuerunt mortem pro amicis; et dicit quod merito laudantur illi, quia optime facit Pylades ponens vitam pro Oreste. Et ratio est quia maius bonum sibi volebat quam amico, quia adquirebat bonum spirituale et honestum.'

<sup>111</sup> Ita I. Cagnazzo, *Summae Tabienae* P. I. Doctorem Angelicum in II-II, q. 26 a. 5 ad 3 intelligit: 'Quartum diligibile est proprium corpus, & quamvis anima proximi sit magis amanda quam proprium corpus; non est tamen de necessitate salutis, q. semper propriam corpus pro anima proximi exponamus, sed solum quando imminet periculum salutis animae proximi, . . .' (p. 224a).

ralem, cui tamen coniungitur salus spiritualis.

Idem S. Thomas in suo libro *De regimine principum* allegat factum duorum Pythagoreorum, Damonis et Pythiae, et ita eorum virtutem laudat atque amicitiam honeste copulatam exaltat, ut non solum homines bonae voluntatis, verum etiam tyrannum delectetur.<sup>112</sup>

Hoc argumentum magnam vim probativam habere videtur, quia revera S. Thomas ibi laudavit amicitiam illorum duorum Pythagoreorum; non tamen patet utrum ipse laudaverit solam amicitiam vel non. Proinde Bassaeus, mentem eiusdem Doctoris tum ex hoc loco eum etiam ex aliis locis interpretans, reputat imprudentem illum, qui propriam vitam corporalem exponere audet ob solam amicitiam, praesertim humanam.<sup>113</sup>

Demum quod attinet ad locum *Summae Theologiae* nostri auctores interpretantur Doctorem Angelicum intellexisse ex motivo virtutis vitam alterius propriae licite praeferre.<sup>114</sup> Etenim homo, iuxta eum, debet sustinere detrimenta corporalia propter amicum, et in hoc, diligendo in se virtutem, adhuc magis se ipsum quam proximum diligit,<sup>115</sup> neque per consequens ordinem caritatis violat. Alii auctores similiter ex hoc textu motivum virtutis approbant.<sup>116</sup>

<sup>112</sup> S. Thomas, *De regimine principum* lib. I cap. X: 'Dionysius enim... cum duorum amicorum, qui Damon et Pythias dicebantur, alterum occidere vellet, is qui occidendus erat, inducias impetravit, ut domum profectus res suas ordinaret; alter vero amicorum sese tyranno ob fidem pro eius reditu dedit. Approquinquante autem promisso die, nec illo redeunte, unusquisque fideiorem stultitiae arguebat. At ille nihil se metuere de amici constantia praedicabat. Eadem autem hora, qua fuerat occidendus, rediit. Admirans autem amborum animum, tyrannus supplicium propter fidem amicitiae remisit...' (p. 15b).

<sup>113</sup> Cf. nota 107 huius.

<sup>114</sup> E. Bassaeus, o.c., tom. I, p. 132a: 'Nihilominus communis sententia est in contrarium: unde dicendum videtur honestum esse & laudabile, vitam ponere pro amico: modo adhibeantur quaedam conditiones. Primo, ne vita ponatur pro vita... nihil aliud spectando, quam ut proximus indemnis seruetur... quod si comparamus vitam cum honestate virtutis, iam apparet, me mihi magis conculere, quam amico, cum ipsi conseruem bonum corporale, mihi autem comparem spirituale...'. Cf. etiam nota 56. pro mente F. Pitigianis; H. Villalobos extollit motivum amicitiae, o.c., vol. II, p. 31b: 'En algun caso seria licito poner a peligro la vida por el amigo... Y en este caso es acto de amistad: mas no ha de ser por qualquiera cosa, ni temerariamente...'

<sup>115</sup> S. Thomas, *Summa theologiae*, II-II q. 26 a. 4 obiectioni 'Praeterea, detrimentum illius quem magis diligimus, magis vitamus. Sed homo ex caritate sustinet detrimentum pro proximo: secundum illud Prov. 12: *qui negligit damnum propter amicum, iustus est*. Ergo homo debet ex caritate magis alium diligere quam seipsum' respondet 'Ad secundum dicendum quod detrimenta corporalia debet homo sustinere propter amicum: et in hoc ipso seipsum magis diligit secundum spiritualem mentem, quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quae est bonum mentis...' (vol. II, p. 141a-b).

<sup>116</sup> Sic expresse D.M. Prümmer OP, *Manuale theologiae moralis*, tom. I, p. 420: 'Homo tenetur regulariter propriam vitam corporalem vitae alterius praeferre.'

Nunc, etsi S. Thomas affirmaverit posse hominem agere ex motivo virtutis damnum proprium negligendo propter amicum, nondum tamen constat de quonam damno eum illic locutum fuisse, ita ut surgat magna difficultas inter auctores circa eiusdem sensum. Nam alii affirmant illud damnum accipi etiam pro ipsa vita corporali, alii vero tenent id dumtaxat intelligendum esse pro bonis vita inferioribus. De hoc aliquomodo iam locuti sumus, agendo de interpretatione Prov. 12, 26.<sup>117</sup>

2) F. Vitoria, testibus Pitigianis<sup>118</sup> et Sannig,<sup>119</sup> huic primae sententiae favisse dicitur; iamvero videndum est utrum et quid asseruerit ipse.

Re enim vera si examinamus eius scripta, praesertim relectionem *De homicidio*,<sup>120</sup> sequentia puncta pro hac sententia colligere possumus, nempe: consilium imo aliquando praeceptum esse mortem propriam non solum patienter tolerare, verum etiam libenter subire;<sup>121</sup> non solum casu et voluntarie, sed etiam ex alio fine permittere se occidi;<sup>122</sup> consequenter panem extreme necessarium alteri cedere, vel licere servo certum periculum mortis subire, cedendo regi tabulam naufragii; etsi quoad hoc ultimum aliud motivum praeter amicitiae aut caritatis, ipse admiserit, nempe boni communis vel etiam fidelitatis.<sup>123</sup> Ad illud vero quod homo non est dominus vitae suae, ergo non licet ei vitam in periculum mortis proicere, respondet idem Vitoria, quod utique homo possidet aliquod dominium in vita, ex quo enim omnis iniuria, quae infertur vitae seu

Sunt tamen exceptiones, si intercedit aut bonum commune aut bonum virtutis propriae.

<sup>117</sup> Cf. argumenta I. *Ex S. Scriptura*, 3).

<sup>118</sup> Cf. nota 56 huius.

<sup>119</sup> Cf. nota 25 huius.

<sup>120</sup> Praeter hunc textum, quem citant nostri Auctores, adest adhuc alius locus ex Commentario in *Summam Theologiae*, in quo quaestio prolixius habetur.

<sup>121</sup> F. Vitoria, *De homicidio*, in *Relectiones tredecim* tom. II rel. X: 'An sit fortis viri occidere seipsum, vel cum conservare vitam posset, mortem oppetere quando & quatenus hoc aut licitum, aut laudabile sit. . . Prima conclusio, sicut mortem sibi consciscere semper impium est, ita mortem non solum patienter tolerare, sed libere etiam subire plerumq; consilium, nonnunquam praeceptum est' (p. 430).

<sup>122</sup> F. Vitoria, *ib.*, pp. 449-50: 'Sexto, quod dupliciter potest occidi homo. Uno modo ex intentione & certo proposito. . . Alio modo praeter intentionem, non dico solum a casu & voluntarie, sed etiam propter alium finem, quem si posset occidens aliqui consequi, non occideret: sicut cum quis in defensio-/nem sui, vel etiam Reip. occidit invasorem'.

<sup>123</sup> F. Vitoria, *ib.*, p. 452: 'Quarto. Licet duobus existentibus in extrema necessitate, & habentibus solum unicum panem, unde alter posset tantum vitam conservare, licet inquam alteri habenti panem cedere alteri, & hoc est se interficere. Ergo.

Quinto. Si servus esset cum rege in naufragio, & essent in tabula, vel navicula, quae utrumq; non posset sustinere, licet servo desilire in mare sine spe evadendi, ut regem servet a morte. Ergo licitum est in casu se interficere'.

corpori, non solum Deo, sed etiam ipsi homini privato irrogari dicitur.<sup>124</sup>

Agendo de caritate et de iustitia, nempe in commentario in *Summam theologiae*, Vitoria hanc sententiam adhuc magis confirmat, ita ut Doctorum Angelicum pro ea, inter ceteros adducat.<sup>125</sup> Nos tamen dicimus quod utique sententia Vitoria probabilitate gaudet, sed S. Thomas non est cogendus.

3) D. Soto, secundum Rodriguez<sup>126</sup> et Pitigianis,<sup>127</sup> hanc sententiam amplexus est, tenendo licitum esse vitam alterius propriae praeferre, cedendo ei tabulam unicam in medio maris occupatam.

Certe Soto huic sententiae favet; nam ipse quaestionem movens in illo loco *De iustitia et iure*, habito statu problematis et difficultate eiusdem cognita, asserit sine ulla haesitatione licitum esse imo quandoque officium adesse propriam vitam ponere pro vita amici, nempe corporali, imo hoc explicite confirmat ex illo Ioann. cap. 15, v. 13.<sup>128</sup>

<sup>124</sup> F. Vitoria, *ib.*, p. 457: 'Pro quo est considerandum, quod liceat (ut dictum est) homo non sit dominus sui corporis, aut vitae suae, sicut aliarum rerum, tamen aliquid dominii & iuris habet in vita sua, ratione cuius qui nocet in corpore, non solum faciet Deo, qui est supremus dominus vitae, sed etiam ipsi homini privato iniuriam'.

<sup>125</sup> F. Vitoria, *De caritate et prudentia*, p. 106: 'Sed est *dubium* gravius, quia dicitur hic quod pro amico omne detrimentum debet homo pati. An hoc extendat se usque ad mortem, an liceat mihi mori pro amico, an vir licite possit mori pro femina; v. gr., maritus videt quid quis vult interficere uxorem, an liceat ponere vitam ad defendendam illam, et contra. Quaestio est gravis, et habet apparentiam in utramque partem. Et probatur pars negativa, scilicet quod non liceat, ex argumento sancti Thomae, quia ut ipse dicit, proximus diligitur tanquam ipsemet diligens. Praeterea, principium dilectionis est ipsemet proximus. Ergo potius debet se diligere quam proximum alium. Sed in contrarium est quia absolute dicit sanctus Thomas quod omne detrimentum corporale debet homo pati propter amicum...'. *De iustitia*, pp. 304-5: 'Dubium maius est, an teneatur quis defendere se ab invadente occidendo illum, an ergo teneatur quis occidere latronem vel alium invadentem se, quando aliter non se potest ab illo defendere. Opiniones sunt de hoc. Aliqui tenent quod tenetur se defendere et conservare vitam... Oppositum tenet Caietanus, et est communis opinio quam puto veram, /... Sic etiam qui habet panem necessarium ad conservandum vitam suam, potest dare patri vel amico et patienter amplecti mortem... Item, licet pro amico in mari ponere vitam meam, dando illi tabulam ut evadat periculum submersionis et mortis, me manente in illo...'

<sup>126</sup> Cf. nota 22 huius.

<sup>127</sup> Cf. nota 72 huius.

<sup>128</sup> D. Soto, *De iustitia et iure*, pp. 294-5: 'Quaeritur ergo utrum vitam propriam liceat pro amico aut pro quacumque virtute morti offerre... Quaestio est egregia: neque solum philosophis digna, verum & Theologis: tametsi non pro eius dignitate viderim ex professo disputatam... / Tertia conclusio, ad cuius veritatem explorandam praesens movetur quaestio, sit: Licitum est, & saepissime officium, vitam corporalem exponere, non solum pro vita spiritali amici, verum & pro temporali... Atqui de hac quaestione diuus Augustinus diversè locutus est: loco nanque inter arguendum citato visus est ad partem negativam annuere.

4) P. Aragon, iuxta Pitigianis,<sup>129</sup> sequendo Dominicum Soto, huic sententiae favet, asserens in suo libro *De iustitia et iure* licitum esse vitam amici propriae praepone, illi praebendo auxilia cum quocumque periculo proprio,<sup>130</sup> imo ex motivo virtutis propriam vitam periculo exponere pro vita alterius privati.<sup>131</sup>

5) D. Bañez allegatur a Rodriguez pro hac sententia, asserendo de proximo in genere.<sup>132</sup> Ast Bañez invenimus de re distinguentem, nempe, quando agitur de bonis quorum homo est dominus, licitum esse ea amittere propter proximum, a fortiori propter amicum;<sup>133</sup> quando vero agitur de ipsa vita corporali, similiter licitum esse eam certo periculo exponere: pro amico aequali. Loquitur enim explicite de amico, quia in casu virtus amicitiae praeferranda est vitae temporali.<sup>134</sup>

6) F. Toledo adducitur a Sannig pro confirmatione sententiae permit-

Tamen libro de amicitia, c. 10, expresse ait vitam corporis ponendam esse pro amico: ut sanxit, inquit, divina auctoritas. Nimirum ad verbum Christi alludens, a nobis citatum, Maiorem charitatem... Et re vera nunquam mihi in dubium venire potuit, qui certo crediderim peregrinum hoc esse amicitiae, ac subinde virtutis officium'.

<sup>129</sup> Cf. nota 72 huius.

<sup>130</sup> P. Aragon, *De iustitia et iure*, p. 260b: 'Ad quantum responderet, quod, ubi amicus indigeret auxilio & obsequio meo in aegritudine, vel consilio in conscientia, non dubito, quin possem adiuuare illum cum quocumque periculo proprio'.

<sup>131</sup> P. Aragon, *ib.*, p. 260b: 'Quare omnino concedendum est in casu posito in argumento licitum esse, panem alteri concedere, cum manifesta pernicie propriae vitae. Nec hoc est se interficere: sed peti mortem pro gloriosa virtute'.

<sup>132</sup> Cf. nota 21 huius.

<sup>133</sup> D. Bañez, *Commentaria in Secundam Secundae Angelici Doctoris D. Thomae*, coll. 1033-4: 'Ad hoc dicimus primo, licitum est homini, omnia bona temporalia, quorum est Dominus... in casu necessitatis etiam temporalis propter proximum, maximum propter amicum amittere... Probatur ex illo Prov. 12. Qui negligit damnus... Et fuit communis sententia Philosophorum. Et ratio S. Thomae ad secundum est optima... Dico quarto, q. si proximus sit persona publica... possum exponere vitam temporalem ad eripiendum illum a morte, nisi forte sim ego magis necessarius reipublicae...'

<sup>134</sup> D. Bañez, *ib.*, coll. 1034-5: 'Dubium magis difficile est, an liceat homini pro amico aequali sibi exponere vitam corporalem periculo propter defensionem vitae temporalis ipsius amici. Videtur: quod non... Nos tamen ponimus unicam conclusionem. Licitum est, vitam corporalem in aliquo euentu propter seruandam vitam corporalem amici aequalis conditionis exponere certo periculo. Hanc tenet D. Thom. lib. 1 de reg. Princ. & Lactantius lib. 5 de divinis inst. c. 18. Aug. lib. 5 Conf. c. 6 Arist. 6 Eth. c. 8 et lib. de Amicitia c. 10 docet, quod pro patria & amico etiam ipsa vita est exponenda. Et Cicero lib. de Amicitia idem asserit. Et probatur ex illo Io. 15 Maiorem hac.../ suam ponat quis... ubi Christus Dominus videtur usus communi proloquio. Item ratione probatur. Quia in casu necessitatis, ubi amicus periclitatur, ille qui vitam pro illo amittit, colit virtutem amicitiae, quae valde necessaria est reipublicae, ergo licitum est mori pro conservanda vita amici'.

tentis cedere panem unicum aut tabulam unicam altero in eadem necessitate constituto.<sup>135</sup> Constant Toledo explicite tenuisse id alteri nedum cedere, sed etiam dare,<sup>136</sup> quam sententiam Azor, inter alios, censet esse probabiliorum.<sup>137</sup> Nobis tamen videtur, utique auctoritate aliorum, ut Soto, ambae suppositiones seu sententiae sunt probabiles, eo quod casum satis bene explicant.

7) I. Azor, iuxta Cottonium,<sup>138</sup> tenet licitum esse ex motivo virtutis propriam vitam pro vita alterius periculo exponere. Verum Azor, probabiliter sequendo Soto, non sic simpliciter de vita alterius privati, sed de vita amici, propriae praeferenda, loquitur.<sup>139</sup>

8) L. Lessius, secundum Sannig, asserit licitum esse proximo cedere panem vel tabulam cum certo periculo proprio.<sup>140</sup> Revera Lessius, Franciscum Vitoria sequendo, docuit alteri licitum esse cedere panem extreme necessarium, quia hic adest officium caritatis in proximum.<sup>141</sup>

9) G. Herincx, iuxta eundem Sannig, amplectitur sententiam permittenti hominem proximo cedere panem vel tabulam, etsi ipse sit certo periturus.<sup>142</sup> Constat Herincx tenuisse licite hominem ex motivo virtutum vitam proximi propriae praeponere; nihilominus id leviter illicitum esse censetur, si fiat ceteris paribus.<sup>143</sup>

Quibus tandem accedunt etiam Sayer, Bonacina, Molina, Malderus,

<sup>135</sup> Cf. nota 25 huius.

<sup>136</sup> F. Toledo, *Instructio sacerdotum ac poenitentium*, p. 418b: 'Sunt tamen aliqui casus, in quibus licet homini suam exponere vitam, & permittere se occidi, & mori: imo aliquando ad id tenetur... Tertius est ob amici liberationem. Posset n. aliquis vitam pro amico exponere... Sotus etiam dicit, quod si esset in mari, nec esset nisi una tabula, posset non accipere, sed relinquere amico; nō tamen posset dare. Sed ego utrumq; iudico esso par; & ita concedit Vitoria rele. de homic. nu. 26. & similiter concedit de porrigente panem in extrema nec. alteri'.

<sup>137</sup> I. Azor, *Institutionum moralium* pars II, p. 703a: 'Quarto quaeritur, An in naufragio licitum sit mihi habenti tabulam, qua possim salvus evadere, alteri periclitanti dare ne pereat? Sotus... negat. At Vitoria in relect... et Cordubens. lib. I quaestionum quaest. 38 oppositum videtur asserere... Hoc videtur probabilius esse'.

<sup>138</sup> A. Cottonius, o. c., tom. I, p. 70a: 'An liceat pro servanda vita temporali privati? Azor tom. 3 lib. 2 cap. 3 q. 2 et alij dicunt, licere, quia ordo caritatis incipiens a seipso, statutus est in bonis gloriae, vel virtutis; non autem in naturalibus'.

<sup>139</sup> I. Azor, *ib.*, p. 702b: 'Dicendum existimo, non esse contra ordinem caritatis. Ordo enim caritatis requirit, ut bona gratiae, gloriae, et virtutis prius nobis velimus, quam proximo... At vero non exigit ordo caritatis, ut cetera bona... prius nobis velimus, quam amico'.

<sup>140</sup> Cf. nota 25 huius.

<sup>141</sup> L. Lessius, *De iustitia et iure*, p. 70b: 'Quarto si duo in extrema necessitate constituti sint, potest alter alteri cedere pane, quem habet... habet enim iustam causam non comedendi, officium caritatis in proximum...'

<sup>142</sup> Cf. nota 25 huius.

<sup>143</sup> Cf. nota 31 huius.

Sylvius et Valencia, qui, iuxta Bassaeum et quidem revera, huic sententiae favent.<sup>144</sup>

Ceterum ipse Sannig adhuc allegat Navarrum pro hac prima sententia<sup>145</sup>; sed iste ex iudicio aliorum, ut nostrorum Rodriguez,<sup>146</sup> bis Bassaei<sup>147</sup> et Sporer<sup>148</sup> pro sententia contraria adducendus est.<sup>149</sup>

<sup>144</sup> G. Sayer, *Compendii Clavis Regiae* P.I, De IV. Dec. praec. cap. IX, pp. 225-6: 'Dubitatur quarto. An licitum sit voluntarie semetipsum morti offerre. Respondeo affirmative, praesertim pro amico, modo hoc in aliorum praeiudicium, ut Patriae, filiorum, & c. non resultet. Contrarium docuerunt Sanctus Bonaventura, & alij. Fundamentum petitur ex ordine charitatis, qui dicitur, ut sibi quis potius quam proximo teneatur, quare videtur peccare peccato prodigalitatís, quis vitam suam pro alterius vita exponat; & ut dicebat S. August. (de mend. c. 6) hic iam non amplius proximū sicut se ipsum, sed plus quam seipsum diligit. Respondeo falsum esse, quod qui vitam pro amico exponit, maius bonum velit amico quam sibi, bonum enim honestum, quod acquiritur vitae amissione, nedum compensat, sed etiam longē exuperat vitam ipsam. Sanctus Augustinus vero tantum vult ibi, quod regula doctrine excedit, vitam suam pro alio ponere, cum hoc non sit sub praecepto, non tamen negat esse licitum... Hic vero licet adnotare, quod quamvis nemo sit vere dominus proprii corporis, aliquid tamen dominij habemus ratione usus, qui aliquando laudabiliter potest dimitti, non quidem se occidendo, sed se non conservando in casibus permissis...'. M. Bonacina, *Operum de morali theologia* tom. II, p. 461a: 'Non tenemur, regulariter loquendo, occidere invasorem, ob defensionem vitae nostrae... Ratio est, quia possumus exponere vitam nostram pro vita temporali proximi'. L. Molina, *De iustitia et iure* tom. IV tr. III disp. II p. 5a: 'Ex tertia vero conclusionis parte provenit, quod homo exponere possit periculis propriam vitam, ac membra, quando id postulat recta ratio, vel navigando, vel bello justo republicam defendendo, aut principem aliquem adjuvando, vel vitam propriam aut proximi defendendo...'; cf. etiam *ib.*, disp. XIV, pp. 35b-36b. I. Malderus, *De virtutibus theologicis et iustitia et religione* q. XXVI a. V ass. ult. (pp. 209a-210a). E. Sylvius, *Commentarii in totam secundam secundae S. Thomae Aquinatis* q. XXVI a. IV quaer. III, p. 126b: 'Conclusio III. Ambigunt quidem nonnulli, an homini liceat temporalem suam vitam exponere pro amici sibi aequalis vita servanda. Sed pars affirmans quam B. Thom. in 3 d. 29 art. 5 ad 3 docet, est verior. Eum sequuntur Dominicus Soto lib. 5 de Just. & Jur. quaest. 1 art. 6. Bannes, Valencia, & Lorcás hic. Estius, & Lorinus in cap. 3 1 epist. Ioann.' G. Valencia, *Commentarii theologici* disp. III q. IV punct. III (tom. III, pp. 595-606).

<sup>145</sup> Cf. nota 25 huius.

<sup>146</sup> Cf. nota 22 huius.

<sup>147</sup> E. Bassaeus, *o. c.*, tom. I, p. 132a: 'Tota controversia est de vita, utrum liceat se exponere morti ad servandum amicum; nam, D. Augustinus lib. de mend. ad Cons. c. 6. dicit hoc excedere regulam sanae doctrinae: & sunt argumenta non contemnenda, quae probare videntur hoc esse licitum: idque defendit P. Navarra'; tom. II, p. 374a. Quorundam sententia est, non esse licitum pro salute temporali hominis privati, morti voluntarie se tradere... Ita Petrus Navarra lib. 2 de rest. c. 3 dub. 3 n. 41 & alij.

<sup>148</sup> P. Sporer, *o. c.*, tom. I, p. 480a-b: 'Contra tamen: Non solum neminem teneri, sed neque licere corporalem vitam exponere, vel amittere ob solam vitam corporalem/amici, post Navar. aliis citt. *Laym. cit.* c. 3 n. 4'.

<sup>149</sup> Alii auctores similiter asserunt, ut expresse R. Aversa, *De fide, spe et chari-*

4. *Ex philosophis*

Auctores, asserentes ordinem caritatis permittere vitam alterius propriae praeferre, sententiam suam probant satis frequenter etiam auctoritate philosophorum, praesertim Aristotelis et Ciceronis. Sic explicite Pitigianis,<sup>150</sup> Villalobos,<sup>151</sup> Boyvin<sup>152</sup> et Cotonius.<sup>153</sup>

1) Aristoteles enim in *Ethica Nicomachea* laudat virum, qui, patriam vel amicos defendendi causa, mortem ipsam non dubitat oppetere.<sup>154</sup> Nostri Auctores tenent Philosophum approbasse motivum virtutis, sic Pitigianis, Boyvin et Cotonius,<sup>155</sup> vel amicitiae, ut Villalobos.<sup>156</sup> Alii similiter, et bene quidem, tenent quod Philosophus heic docuit virtuosum multa facere ita ut, etiamsi oporteat eum mori, amicum non deseret. Sic explicite S. Thomas.<sup>157</sup>

Nihilominus utile est hic observare quid opinant adversarii. Iamvero inter hos alii penitus nihil obiciunt circa textum Philosophi; alii vero, ut Hermann, id explicant dicentes quod Aristoteles poterat esse in errore eo quod magis aestimabat honorem quam ipsam vitam, vel potius ille loquebatur de his, qui propriam vitam exponunt ob bonum reipublicae.<sup>158</sup> Haec observatio nobis videtur non esse spernenda, quia Philosophus in eodem textu expresse assererat etiam de virtuoso, qui causa patriae agebat.<sup>159</sup>

2) Cicero allegatur pro hac sententia ab eisdem Pitigianis et Cotonio

rate, p. 458a: 'Attamen, per se loquendo, id non videtur laudabile, nec licitum. Ita censent Duraudus... Petrus Navarr. lib. 2 de rest. c. 3 part. 1 diff. 3'.

<sup>150</sup> Cf. nota 56 huius.

<sup>151</sup> Cf. nota 98 huius.

<sup>152</sup> Cf. nota 54 huius.

<sup>153</sup> Cf. nota 90 huius.

<sup>154</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea* lib. IX cap. VIII (vol. II, pp. 111-2): 'Insuperque verum etiam illud est, quod de bono viro dici solet, eum multa amicorum et patriae causa agere: atque etiam, si res postulet, eorundem gratia/mortem oppetere... Omnia enim haec amico relinquens, id sibi sumet, quod honestum sibi ac laudabile'.

<sup>155</sup> Cf. notae 54, 56 et 90 huius.

<sup>156</sup> Cf. nota 98 huius.

<sup>157</sup> S. Thomas, *Expositio in decem libros Ethicorum in Opera* tom. V, f. 124a: 'Excludit ab eo, qui amat se secundum virtutem id quod supra positum est in accusationem amantis seipsum, scilicet quod nihil facit propter alium. Et circa hoc tria facit. Primo proponit, quod intendit. Secundo manifestat propositum ibi... Tertio epilogando concludit veritatem quaestionis, ibi. Dicit ergo primo, verum esse quod dicitur de virtuoso, quod multa faciet gratia amicorum, & patriae, id est maxime inter omnes alios, & etiamsi oporteat eum mori non deseret amicum'.

<sup>158</sup> A. Hermann, o. c., tom. II, p. 211b: 'Cicero et Aristoteles poterant esse in errore, ob id maxime, quod honorem et famam pluris faciebant, quam vitam, sicut et caeteri Ethnici. Videtur tamen Aristoteles loqui de illis, qui vitam suam exponunt pro conservatione Reipublicae'.

<sup>159</sup> Cf. nota 154.

ex libro *De amicitia* ac *De officiis*. Etenim in Philosophi textibus laudantur amici, quorum alter pro altero periculum mortis adivit,<sup>160</sup> quod iuxta Pitigianis in se includit honestatem virtutis<sup>161</sup> et iuxta Cotonium heic agitur tantum de periculo mortis cum aliqua spe, quod licitum est, minime vero de morte certa aut de periculo certo.<sup>162</sup>

Videtur idem dicendum esse ac pro Aristotele.<sup>163</sup> Afirmatio Hermann, asserentis Ciceronem potuisse esse in errore<sup>164</sup> audax esse videtur. Ceterum inutilis esse creditur distinctio quam facit Cotonius inter ponere vitam morti certae et ponere eam periculo cum aliqua spe, praesertim si considerate perpendantur casus, in quibus, agendo de causis liberis, homo scire aut praevidere nequit utrum mors ex tali vel tali actione, puta ponere vitam pro altero, realiter sequatur necne.

## II. ARGUMENTA RATIONIS

Patroni huius primae sententiae suam thesim potenter probant ex argumentis rationis, quae adduci solent sequentia: caritas erga proximum, perfectio virtutis, exemplum Christi et limitatio praecepti propriam vitam conservandi.

### L. *Caritas erga proximum*

Hoc argumentum expresse adducit Rodriguez in capite *De amore in proximum*, in quo dicit licere in pari necessitate, vitam alterius pro-

<sup>160</sup> Cicero, *Laelius de amicitia* §24 (pp. 30, 31): 'Agrigentinum quidem doctum quandam virum carminibus Graecis vaticinatum ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intellegunt et re probant. Itaque, si quando/aliquod officium exstitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est, qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula! cum ignorante rege, uter Orestes esset, *Pylades* Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta; quid arbitramur in vera facturos fuisse? Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent'. *De officiis* lib. III cap. VI (p. 178); 'Damonem, et Pythiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit alter ejus sistendi: ut, si ille non revertisset, ad diem, moriendum esset ipsi. Quicum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se in amicitiam tertium adscriberent. Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur, jaceat utilitatis species, valeat honestas'.

<sup>161</sup> Cf. nota 56 huius.

<sup>162</sup> Cf. nota 90 huius.

<sup>163</sup> Cf. paulo prius sub n. 1).

<sup>164</sup> Cf. nota 158 huius.

præferre;<sup>165</sup> quod confirmat paulo inferius in capite *De homicidio*, nempe licitum esse tabulam nondum possessam proximo cedere, ut bene fiat illi.<sup>166</sup> Obicientibus quod caritas quoad bona necessaria, ut est vita corporalis, a se ipso incipere oportet,<sup>167</sup> respondet idem Rodriguez quod utique caritas a se incipere debet quoad bona spiritualia, minime vero quoad bona temporalia, imo haec, ut asserit Herincx, non sunt tam necessaria, quia frequenter licite exponi possunt.<sup>168</sup>

Nihilominus obiectio adversariorum valde gravis esse videtur, quia ex una parte lex et ordo caritatis præcipere aestimantur ut homo seipsum magis diligat quam alterum, ex alia vero parte, homo nequit pro altero propriam vitam temere periculo exponere, quia non est dominus eius.<sup>169</sup>

<sup>165</sup> Cf. nota 21 huius.

<sup>166</sup> Cf. nota 22. Alii auctores etiam adhibent hoc argumentum; ita T. Tamburini, *Explicatio Decalogi*, in *Opera Omnia* Tom. I. p. 168a: '... quia cum laude ex virtute charitatis præferre possum proximi vitam vitae meae'; L. Ferraris, *Prompta Bibliotheca* v. Homicidia (tom. IV, p. 136a): '... posse... religiosos et alios posse huiusmodi peste infectis deservire, ex charitate, et amicitia, quamvis certo moraliter timeatur similis mortalis infectio'; I. D'Annibale, *Summula theologiae moralis* P. I, p. 62: 'Nec oppetere [mortem]: idest, mortis periculo se exponere: verum, hoc non est inferre sibi mortem, sed magis illam permittere; ideo licet, ex gravissima causa, non subtrahere se periculo huiusmodi, immo ultro illud adire. Quae causa duplex esse potest: nempe 1. ut mortem evadat... 2. alicuius virtutis amor (ex caritate licet cedere alii tabulam naufragii)'; A. Tanqueray, *Theologia moralis fundamentalis in Synopsis theologiae moralis et pastoralis* tom. II, pp. 547-8: 'Pariter propriam vitam exponere licet ad salvandam proximi vitam, propter exercitium virtutis, praesertim caritatis, quia/actus heroicæ caritatis pluris valet quam vita temporalis'. Cf. etiam A. L. Eloy, *Compendium theologiae moralis* tom. I, Hongkong 1920, p. 259.

<sup>167</sup> P. Sporer, *o. c.*, tom. II, p. 161b: 'Ratio est: quia per se loquendo, & sistendo in lege, & ordine caritatis, quilibet vitam suam propriam alienae præferre tenetur, iuxta commune ab omnibus receptum axioma: *Prima charitas incipit a se ipsa*'. Non minus quae adversarii, patroni huius primæ sententiæ etiam vident hanc difficultatem, inter quos audiatur I. Azor, *o. c.*, P. II, pp. 701b-702a: 'Secundo quaeritur. An tuta conscientia possit quis sui corporis vitam pro amico ponere? Hoc est quaerere, An possit certo vitae discriminis seipsum obijcere, ut/amicum incolumem servet?... Ratio quaestionis est, quia secundum ordinem charitatis, vita nostra est vitae proximi anteferenda, ergo videtur contra ordinem charitatis agere, qui vitam, et sanguinem suum fundit pro amico'.

<sup>168</sup> G. Herincx, *o. c.*, p. 213a: 'Aliter potest probari ex hoc, quod homo non sit dominus suae vitae, adeoque nequeat vitam suam pro aliena exponere. Sed responderent, oppositum sentientes, non esse quidem ullo casu licitum directe se occidere, tamen hominem non teneri vitam suam conservare omni medio et occasione, sed posse eam exponere manifesto periculo, ipsique morti, habita sufficienti ratione...'; *ib.* paulo prius: 'Accedit ratio desumpta ex vita spirituali propria, quae non potest exponi pro aliena, seu postponi eidem. Sed haec ratio animium probat: cum id nullo casu liceat; et tamen frequenter liceat mortem subire pro servanda vita proximi...'

<sup>169</sup> P. Sporer, *ib.* arguit inter alios: 'Deinde: quia homo non est dominus vitae suae, sed custos strictissime obligatus eam conservare per media opportuna;

Nos tamen dicimus quod hoc argumentum utique habet vim probativam eo sensu quod aliquando vel frequenter, imo saepe dantur casus, in quibus homo licite necnon et laudabiliter ex caritate erga proximum propriam vitam periculo exponere, ex quo etiam quando propria mors timeatur, potest, ut leprosis vel peste infectis inservire, infantem e flumine eripere etc; non tamen eo sensu, ut nobis videtur, quod id semper liceat; eo quod similiter nonnulli dantur casus, in quibus homo agit potius temerarie seu prodigaliter<sup>170</sup> aut ex vana gloria<sup>171</sup> quam ex caritatem erga alterum.

## 2. *Perfectio virtutis*

Hanc alteram rationem sibi etiam vindicare solent auctores vitam alterius propriae praeferre permittentes. Sic Cotonius affirmat quod homo in actu proximum sibi praeferendi, diligit magis bonum superioris ordinis quam bonum inferioris ordinis, eo quod proprie virtutem, non vero vitam alterius, propriae vitae praeferre dicitur.<sup>172</sup> Similiter Bassaeus iam arguerat dicens quod si vita nequeat comparare cum vita, comparare tamen potest cum honestate virtutis, quia revera in casu necessitatis, homo non amplius amicum sibi, sed bonum spirituale bono corporali praepone-re censetur.<sup>173</sup>

Hoc argumentum aliquomodo iam apparebat in ipso S. Thoma, a quo dependere videntur auctores posteriores.<sup>174</sup> Scribit enim Doctor Angelic- non nimium difficilia: atqui tale medium est me defendere, etiam cum occisione alterius'.

<sup>170</sup> Ita H. Villalobos, *o.c.*, vol. II, p. 31a: 'Y pruevalo Santo Thomas [2.2 q. 26 a. 4]: porque en padecer detrimento en las cosas temporales por el amigo, se ama el hombre a si mismo más, segun una virtud espiritual, que es la amistad. Digo en la conclusion, en caso de necesidad, porque no la auiedo, seriá prodigalidad'.

<sup>171</sup> Petrus Blesensis, *De charitate Dei et proximi* 40 sic asserit: 'Præinde his qui morte propria temporaliter dominos suos a morte redimunt, recte quidem hoc faciunt, si potius salutem animae suae, quam liberationem alieni corporis in causa contituunt. Cum enim conscientia sua eis dictet, quod dominis fidem suis debeant exhibere, videtur etiam consonum rationi, quod vitae suae corporali vitam dominorum debeant antepone-re. Verum si pro captanda potius gloria, quam pro fide servanda tali se discrimini obiecerint, egerunt temerarie'.

<sup>172</sup> A. Cotonius, *o.c.*, P. I, p. 70a: 'Nunquam liceat se occidere; licitum tamen est mortis periculum subire propter maius bonum; non solum proprium, sed etiam alienum. Et quandoque etiam debitum, semper tamen urget bonum proprium, nempe virtutis, quam quisque sibi praevult, quam alijs'.

<sup>173</sup> Cf. nota 29. Cum nostro Bassaeo concordant inter ceteros R. Sasserath, *Cursor theologiae moralis* vol. II, p. 71; AE. Berardi (cf. nota 63); B.H. Merkelbach, *Summa theologiae moralis* tom. I, p. 687; I. Bucceroni, *Institutiones theologiae moralis* vol. I, p. 319; H. Noldin-A. Schmitt, *Summa theologiae moralis* vol. II, p. 82.

<sup>174</sup> Sic inter alios D.M. Prümmer, *Manuale theologiae moralis* tom. I, p. 420: 'Homo

cus quod homo, in detrimentis corporalibus subeundis propter amicum, se ipsum adhuc magis diligit quam amicum, quia ipse in se diligendo bonum spirituale, facit praecise id quod pertinet ad perfectionem virtutis.<sup>175</sup>

Attamen in S. Thomae textu, ut iam vidimus<sup>176</sup> non est omnino evidens in quonam sensu sumatur illud 'damnum', seu detrimenta corporalia, nam alii solum pro bonis vita inferioribus, alii autem etiam pro ipsa vita, id intelligunt. Unde, quaestione manente, ex S. Thoma hoc tantum erui licet, nempe ad perfectionem virtutis pertinere bona temporalia, saltem vita inferiora, propter amicum negligere.

### 3. *Exemplum Christi*

Quod Christus suo exemplo nos docuerit proximum licite sibi praeferre asserunt Villalobos et Bassaeus. Iuxta priorem Christus non adhibuit violentiam neque alia media ad propriam vitam defendendam, cum ipse bene potuerit; ergo neque oportet nostram vitam quibuscumque mediis defendere et conservare, consequenter possumus eam pro vita alterius periculo exponere.<sup>177</sup> Secundum vero posteriorem Christus propriam vitam praestantissimam pro nobis exposuit ut nos licite possemus nostram vitam, non tam pretiosam, pro vita alterius, etiam corporali, certo periculo exponere.<sup>178</sup>

Etsi hoc argumentum a nemine adversariorum obiciatur, videtur tamen difficile probare quod, cum Christus propriam vitam pro salute totius mundi posuerit, possemus nos pro salute corporali alicuius privati nostram vitam ponere; Christus enim pro omnibus vitam posuit et quidem praecise pro eorum salute spiritali, licet aliter sustinuerit Dominicus Soto.<sup>179</sup>

tenetur regulariter propriam vitam corporalem vitae alterius praeferre. Sunt tamen exceptiones, si intercedit aut bonum commune aut bonum virtutis propriae . . . De hac re scribit Angelicus Doctor . . .'; cf. etiam B.H. Merkelbach, *Summa theologiae moralis* tom. I, p. 687.

<sup>175</sup> Cf. 3, *Ex theologia* I).

<sup>176</sup> Cf. *ib.*, in fine.

<sup>177</sup> H. Villalobos, *o.c.*, vol. II, p. 217b: 'No esta el hombre siempre obligado a defender su propia vida. Esta concl. es llana, y cōsta de que Christo lo pudo defender, y no lo hizo . . . La razon es, porque no está uno obligado para conservar la vida, a usar de todos los medios posibles, ni de todas las comidas, o medicinas preciosas, ni yrse a las tierras muy saludables para vivir más . . .'

<sup>178</sup> E. Bassaeus, *o.c.*, tom. II, p. 374a: 'Tum quia vita corporalis Christi multo est dignior quam vita animarum nostrarum: cum ergo ipse vitam sui corporis posuerit pro animabus nostris, consequens est, quod vitam nostram corporalem, pro proximi vita, etiam corporali, possimus ponere'.

<sup>179</sup> D. Soto, *o.c.*, p. 295: 'Adde, quod Christus pro vita temporali nostra propriam posuit. Nam sicut per peccatum, ut ait Paul., mors introivit in orbem: ita & redemptoris munus fuit liberando a peccato, liberare etiam a temporali morte, donando nobis immortalia corpora . . .'

4. *Limitatio praecepti propriam vitam conservandi*

Denique hoc ultimum argumentum, adductum a patronis huius primae sententiae, consistit in eo quod homo non semper obligatur ad propriam vitam defendendam, et per consequens aliquando licite potest eam non conservare imo et periculo exponere. Sic Villalobos.<sup>180</sup>

Hoc argumentum sic explicitum nedum obiciunt adversarii, sed explicitis etiam verbis id confirmant.<sup>181</sup> Quaestio enim non versatur circa naturam huiusmodi praecepti, sed circa applicationem eius ad casus, nempe quinam casus excipi possunt et excipiuntur ab obligatione eius, et utrum, ceteris omnino paribus, vitam alterius propriae praeferre sit licitum; dum e contra unicuique positive incumbere videtur propriam potius quam alienam vitam conservare.

B. TUNG O.F.M.

<sup>180</sup> Cf. nota 177.

<sup>181</sup> Ita v.g. P. Sporer, o.c., tom. II, p. 179b: 'Ratio & regula generalis a DD. assignari solet haec: quoties adest causa iusta & gravis aliquid agendi, vel omittendi, quamvis inde per accidens sequatur mors, si ergo mortem tamen non intendam, sed intendo tantum bonum finem, toties me licite gero, istud ago, vel omitto, sicque periculo mortis me expono, vel mortem meam permitto. *Ratio* regulae modo supra indicata est: quia praeceptum affirmativum servandi vitam non obligat semper & omni tempore, & omni casu, sed tantum quando moraliter servari potest; atqui cum occurrit talis iusta & gravis causa aliquid agendi, vel omittendi, ex quo per accidens mors sequatur, iam vita moraliter servari non potest....'